



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Distinct. IV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

rat & parua, vt humanovisui vix posset subiici: die
 b^o a. illis quos Aug. memorat perfecta est, & no-
 tabilis facta. Incarnatū est ergo verbū vt ait Ioan. *Ioan. Dam.*
 Damascen. & à propria incorporalitate non ex- *li. de ortho.*
 celsit: & totum incarnatum est, & totum est in cir- *fide 3. cap. 7.*
 cumscriptione. Minoratur corporaliter & cōtrahi- *in fine.*
 tur: & diuinè est incircumscriptione: non coexten-
 sa carne eius cum incircumscriptione diuinitate. In
 omnib. igitur qui super omnia erat, & in vtero
 sanctę genetricis existerat, sed in ipso actu incar-
 nationis.

QVARE IN SCRIPTURA SÆPIVS TRI-
 buatur incarnatio quę est opus Trinitatis. spiritui san-
 cto, & de ipso etiam conceptus & natus di-
 catur.

DISTINCT. IV.

A

CVM vero incarnatio verbi sicut in superiori-
 bus tractatum est, operatio verè sit patris & fi-
 lii & spiritus sancti, inuestigatione dignum nobis
 videtur, quare in scriptura spiritui sancto hoc o-
 pus sæpius tribuatur, & de ipso Christus conce-
 ptus & natus memoretur. Non enim ideo opera-
 tio incarnationis spiritui sancto sæpius tribuitur,
 quod eam ipse solus sine patre ac filio fecerit: sed
 quia spiritus sanctus est charitas & donum patris
 & filii: & ineffabili Dei charitate verbum caro fa-
 ctum est, & ineffabili Dei dono filius Dei sibi vni-
 uit formam serui. Non ergo frequens denomina- *1. cor. 1. b.*
 tio sp. S. ab illo opere patrem vel filium secludit: *ad Phil. 2. 6.*
 sed potius vno nominato tres intelliguntur, sicut
 fit sæpè in aliis operibus. Vnde Augustin. super hoc *Solutio.*
 mouens quæstionem, in hunc modum eandem *In ench. ca.*
 determinat in Ench. ita inquit. Cum illā crea- *18. ad mediet.*
 turam quam virgo cōcepit & peperit, quamuis ad *In rom. 3.*
 solam personam filii pertinentē, tota Trin. fecerit
 (neq; enim separabilia sunt opera Trinitatis) cur

in ea facienda spiritus sanctus solus nominatus est? An etiam quando vnus trium in aliquo opere nominatur, vniuersa operari Trinitas intelligitur? ita vere est, & exemplis doceri potest. Audi istam propositam questionem, eiusdemq; solutionem vel expositionem.

Quo sensu dicatur Christus conceptus & natus de spiritu sancto.

*Aug. in prin.
cip. ca. 38.
in Ench.*

Ibid. in fin.

*Ibid. c. 39.
in princ.*

*Non omnes
qui dicuntur
alicuius filii
de illo nati
sunt.*

Sed non est in hoc diutius immorandum. Illud enim mouet, quomodo dictus est Christ⁹ natus de spiritu sancto, cum filius nullo modo sit spiritus sancti. Nunquid dicaturi sumus patrem hominis Christi esse spiritum sanctum, vt Deus pater verbum genuerit, spiritus sanctus hominem ex qua vtraque substantia Christus vnus esset & Dei patris filius secundum verbum, & sp. S. filius secundum hominem, quomodo spiritus sanctus tanquam pater eius de matre virginē genuisset. Quis hoc dicere audebit, cum hoc ita sit absurdum, vt nulli fidelium aures id valeant sustinere. Proinde cum fateamur Christum natum de sp. S. ex Maria virginē, quomodo non sit filius spiritus sancti, & sit filius virginis, cum de illo & de illa sit natus, explicare difficile est. Proculdubio nō sic de illo, vt de patre. Sic autē de illa, vt de matre nat⁹ est. Nō est autē cōcedendum quicquid de aliqua re nascitur, continuo eiusdē rei filium nuncupandum. Vt. n. omittā aliter de homine nasci filium, aliter capillum, aliter pediculus & lumbricum, quorum nihil est filius. Vt ergo hęc omittā, quoniam tantæ rei deformiter comparantur, certē qui nascuntur ex aqua & sp. S. nō aquæ filios eos recte quispiam dixerit: sed dicuntur filii Dei patris & matris ecclesiæ. Sic ergo de spiritu sancto natus est Christus, nec tamen filius est sp. S. Sicut econuerso non omnes qui dicuntur alicuius filii, cōsequēs est vt de illo etiam nati esse dicantur: vt illi qui adoptantur. Dicuntur etiam

etiam
præpa
& non
tur fi
fecto
ficut
sinua
B
præce
se cœp
ne vn
li⁹ hor
suscep
homi
pecca
est sig
etiam
natiu
tia De
do ve
uina g
A
Po
ideo
tum
lus. C
quod
nō ec
tus a
nem
ptun
secun
quod
cto. C
do li
aut
flan
qui
etiand

etiam filii gehennæ, non ex illa nati, sed in illam præparati. Cum itaq; de aliquo nascatur aliquid, & non ita vt sit filius: nec rursus omnis qui dicitur filius, de illo sit natus, cuius dicitur filius: profecto modus iste quo natus est Christus de Maria sicut filius, & de spiritu sancto, non sicut filius, insinuat nobis gratiã Dei, qua homo nullis meritis præcedentibus in ipso exordio naturæ suæ quo esse cœpit, verbo Dei copularetur in tantam personæ unitatē, vt idē esset fili⁹ De q̄ fili⁹ hominis, & fili⁹ hominis qui filius Dei: & sic in naturæ humanæ susceptione, fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, qua nullum possit admittere peccatum. Quæ gratia ideo per Spiritum sanctum est significata, quia ipse propriè sic est Deus, vt sit etiam Dei donum. Per hoc ergo quod de sp. S. esse natiuitas Christi dicitur, quid aliud quã ipsa gratia Dei demonstratur? qua mirabili & ineffabili modo verbo Dei est adiunctus atque connexus, & diuina gratia corporaliter repletus.

Alia ratio, qua dicatur natus de Spiritu sancto. C

Potest etiam dici Christus secundum hominē ideo nat⁹ de Spiritu sancto, quia eū fecit. In quantum enim homo est, & ipse factus est, vt ait Apostolus. Cōceptus ergo & natus de sp. S. esse dicitur, nō quod Spiritus sanctus fuerit virgini pro semine: nō enim de Substantia Spiritus sancti semen partus accepit: sed quia per gratiam Dei, & operationem Spiritus sancti de carne virginis est assumptum, quod verbo est vnitum. Et in Euangelio secundum hanc intelligētiam legitur de Maria, quod inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. Cui⁹ dicti rationē Ambrosius insinuans in secundo lib. de Spiritu sancto, ait, Quod ex aliquo est, aut ex substantia aut ex potestate ei⁹ est. Ex substantia, sicut fili⁹, q̄ a patre vel ex patre: & sp. sanctus qui à patre & filio procedit. Ex potestate a. sicut ex

*Ioan. 3. &
Ibid. c. 40.
in princip.*

*Aug. c. 37.
ad princip.
in Enchir.
Ca. 41. eius-
dem ad pris-
cipium.*

Galat. 4. 4.

*Matth. 1. ca.
Ambrosius, in fi-
no. Cap. 5. in
tom. 2.*

Deo omnia. Quomodo ergo in utero habuit Maria ex Spiritu sancto? Si quasi ex substantia, ergo sp. in carnē, & ossa cōversus est. Non utique. Si vero quasi ex operatione & potestate eius virgo concepit, quis neget sp. S. dominicę incarnationis auctorem.

Quare Apostolus dicat Christum factum, cum nos eum esse fateamur natum.

*Rom. 1. a.
Ga. 4. a. a.
Glossa ordi.
ad illud Roman. primo
Qui factus.*

*Glossa ordi.
ad eundem locum.*

*De modo
veniendi di-
uinam &
humanam
naturam in
Christo.*

Sed quæri potest cum nos saluatorem natum profiteamur, cur Apost. eum factum dicat ex semine David: alio loco, factum ex muliere? cum aliud fit fieri, aliud nasci? aliquid ergo significavit hoc dicto. Quia enim non humano semine concreta est caro domini in utero virginis, & corp^o effecta, sed effecta & virtute sp. sancti: ideo Apost. dicit factum, nō natum: Aliud est enim semine admixto, & sanguine coagulato generare: Aliud est nō per mixtionem, sed virtute procreare. possunt enim homines generare filios, sed nō parere. Ecce quare dicit Apostolus factum, & nō natum: ne eius sc. natiuitas, quæ fuit sine virili semine, nostrę similis putaretur, quæ conficitur seminum commixtione. Ideo autem cum sanctum diceret Apost. addidit ex semine David: quia etsi non intercessit semen hominis in conceptione virginis, tamē quia ex ea carne Christus formatus est, quæ constat ex semine, rectē dicitur quia factus est.

**SI PERSONA VEL NATURA PERSONA
nam vel naturam assumpsit, & si natura Dei incarnata sit.**

DISTINCT. V.

PRæterea inquiri oportet, cum ex præmissis cōstet verbum Dei carnem, & animā simul assumpsisse in unitatem personę. quid horum potius cōcedendum sit scilicet, quod persona personam, vel natura naturam, vel persona naturam, vel natura